

parum abest quin fiat Pictor Horti nostri futuri. D^a Millerus mihi fasciculum seminum tradidit jam mense februario, sed prius non potui mittere ob defectum occasionis. Non vidi Pr. Sibthorpium Oxonii, tum absentem neque Mscripta Dil- lenii et Sherardi, quod doleo, narratur mihi pro crepundiis uti, heic cum Pr. Sibthorpio locutus quæsi de publicatione istarum rerum, respondit tales res exigere longum tempus, nec literatum ad palatum bibliopolarum sese gerere debere.

Prædictus Watson in diario anglico mense Xbri recensionem Sp. Plantarum faciens, multa contradicere voluit sed nil nisi puerilia dixit, imprimis ægre ferunt Angli exclusionem Meadiæ Catesbeyi, cujus nullam eis reddere possum rationem, laudatur ab omnibus Meadius et imprimis ab Ehretio pro singulari studio in Hist. nat. 200tas figuras rarissimarum plantarum ab Ehretio confectas pro 400tis guineis reliquit.

Musæum Britannicum ex vastissimis collectionibus Sloanei et Regiæ Societatis conficiendum incipient quam primum erigere in Domo Montague sed vix intra Xnium perficiatur opus, erit tum operæ pretium propter hoc solum videre Angliam, ambæ hæ collectiones jam in pessima confusione sunt, et multa penitus perdita per incuriam et defectum loci, sed ab omni angulo orbis in dies augentur.

Tractatum de Corallinis (sertulariis) nuper edidit D^a Ellis F. R. S. ope microscopii singularis detexit ista omnia esse Polyporum opera et crustas, quas per totam longitudinem inhabitant hæc animalia, multa specimina habet ubi tentacula exserunt ex alis et summitatibus ramorum eodem modo quo Trembleyi, huc etiam pertinet manus mortua, ficus marinus cet. De lithophytis et in specie Flab. Ven. idem adserit, sed calculum adhuc vix audeo adjicere. Primus autor horum experimentorum est D^a Büttnerus, qui nuper Parisiis Berolinum profectus est, curiosa sunt experimenta, quæ in litoribus proximis quam primum repetam. B. Iussiui sententia de hisce rebus huc usque heic non viget, sed chry- stallisatio Bakeri, optimus hic est vir cujus experimenta